

12. In tertio argumento petitur an liceat subdito uti tali dispensatione; multi enim auctores negant, ut expresse Rebuffus in Practic., titulo de Dispensatione ad plura beneficia, n. 53; ait enim nec Papam dispensantem sine causa esse tutum, nec dispensatum. Idem Covarr. supra, ubi refert plures canonistas ex supra allegatis, indicatque dispensationem hanc solum esse validam quoad tollenda impedimenta irritantia, vel inhabilitates legales, ita ut actus in virtute ejus factus teneat, et in foro exteriori, et in re ipsa: non vero esse validam talem dispensationem quoad tollendam obligationem legis, et ideo non reddere tutam conscientiam dispensati. Existimo tamen Covarr. non fuisse locutum in hoc sensu, sed in alio intento a Cajetano quem allegat. Itaque consequenter ad dicta, certum est dispensationem hanc esse validam, etiam quoad tollendam obligationem legis, de qua conceditur, ut expresse declaravit Cajetanus d. q. 96, art. 5, in fine. Et patet ex dictis, tum quia non minus pendet obligatio a voluntate legislatoris, quam alii effectus legis humanæ, quales sunt inhabilitates, vel irritationes actuum; tum etiam quia nulla major repugnantia potest in uno ostendi quam in alio; tum præterea quia multæ dispensationes conceduntur in legibus prohibentibus sine irritatione, vel in legibus pure directivis, et nihilominus eodem modo censentur validæ, propter idem fundamentum quod pendet ex voluntate dispensantis.

13. Hinc ergo necessario sequitur subditum sic dispensatum non peccare contra legem, in qua cum illo dispensatum est; quia ablata est illius obligatio, ut, si erat lex de jejuniis, ablata fuit obligatio temperantiæ, et ideo non jejunando non est intemperans. Neque etiam dici potest inobediens, cum non agat contra voluntatem superioris. Quæ ratio in universum probat legem illam tunc non obligare, quia obligatio legis humanæ nititur in illo principio: *Obediendum est superioribus*, quod non habet locum ubi voluntas superioris deest; ergo nec obligatio legis, ergo nec peccatur contra illam: quoad hunc ergo effectum etiam est valida dispensatio. Nihilominus tamen Cajetanus putat subditum peccare, utendo tali dispensatione, quia, licet non agat contra legem humanam relaxatam, agit contra principium illud naturale, quod pars non debet discordare a toto sine causa. Quia turpis est pars quæ toti non convenit; est enim rationi dissonum ut aliquis in communitate vivat, et non utatur eodem jure cum aliis, sine justa excusatione. Atque

in hoc sensu loqui videntur Covarr., Rebuffus et alii antiquiores canonistæ, quos ipsi referunt, dicentes sic dispensatum non manere tutum in conscientia; et idem sequitur Navarrus in Summa, prælud. 9, n. 14, qui hoc temperat, ut intelligatur de obligatione sub culpa veniali, non mortali, quod placet multis modernis quos refert, et sequitur Saneius, d. disp. 18, n. 12 et 13, et est valde probabilis opinio.

14. Mihi vero probabilius videtur in usu talis dispensationis nullum esse peccatum, per se loquendo, ac secluso scandalo, prout tenet Angel., verb. *Dispensatio*, n. 3; et Sylvester, q. 3; Soto etiam, l. 1 de Justitia, q. 7, a. ult., in fine, satis propensus est in eadem sententiam: nam ejus ratio ad hoc tendit, quamvis postea solum concludat, cessante scandalo, non esse culpam pejorem quam venialem. Absolute vero non esse culpam dixit Navarrus in Summa, cap. 12, n. 57, citans Adrianum in 4, in materia de restitutione; et sequitur Aragon. 2. 2, q. 89, a. 9, in fine; et Medin., in Summa, l. 1, cap. 14, § 10; Palacius, in 4, dist. 15, disp. 8, col. 1, et dist. 38, disp. 2, col. 2; Gigas de Pensio., q. 6, n. 13; et idem videtur sequi Felinus in c. *Ad audientiam*, 2 de Rescript., n. 4, ubi ita intelligit Innocent., Cardin. Speculator. et alios simpliciter dicentes sic dispensatum manere tutum in conscientia. Ratio vero est, quia imprimis subditus utens tali dispensatione non cooperatur peccato dispensantis, sed utitur effectui talis dispensationis, in quo effectui nulla est malitia; imo, licet postea illa utatur, non prosequitur, vel quasi continuat prius peccatum, quod jam præterit. In quo magnam invenio differentiam inter dispensantem, et dispensatum sine causa: nam qui dispensavit potest revocare dispensationem quoad usum futurum, et tenetur id facere, ut supra dixi; et ideo, quoties sciens et videns id non facit, quasi prosequitur prius peccatum, seu de novo illud repetit, sicut dici solet de illo qui furatus est, dum non restituit. At vero subditus, postquam obtinuit dispensationem, sive in eo peccaverit, sive non, postea non potest illam revocare; imo neque illi potest renuntiare semper, ut infra dicam; et quamvis posset, non tenetur, quia non spectat hoc ad officium ejus, et ideo nullo modo perseverat moraliter in peccato, si quod fortasse commisit obtinendo talem dispensationem, etiamsi illa utatur; imo cum tali usu stat vera poenitentia prioris peccati. Et ex hac parte est mihi certum non esse deformitatem gravem in illo usu. Quod vero nec levis seu venialis sit per se et

ex objecto, probatur, quia tunc ille subditus non potest dici turpiter agere discordando a toto in tali opere, quia etiam est dispar in obligatione legis, neque apparet unde oriatur obligatio ad tantam uniformitatem in opere, ubi est difformitas in obligatione legis. Item non apparet cujus speciei esse possit malitia illius culpæ, quia non est contra justitiam, ut per se notum videtur, nec etiam contra charitatem, quia, secluso scandalo, nulla intervenit ratio talis obligationis. Est ergo verisimilius nihil peccare eum qui secrete et sine scandalo utitur sua dispensatione, quando alioqui ille usus seu actus utendi de se non est malus, et fit propter honestum finem, quia illud nec est novum præjudicium legis, neque etiam bono communi præjudicat.

15. *Licet subditus non peccet, peccat tamen legislator secum injuste dispensatione utendo.*— Quartum argumentum petit an legislator ipse possit hoc modo secum dispensare valide in sua lege sine causa. In quo Cajetanus supra affirmat, et prorsus eodem modo censet de ipso legislatore ac de subdito dispensato; ait enim non peccare postea contra legem suam, peccare autem contra naturalem obligationem quam caput habet non discrepandi a corpore. Et quidem Cajetanus consequenter loquitur, supponendo legislatorem obligari sua lege proprie, et per se, seu immediata obligatione legis positivæ humanæ: nam tunc procedunt rationes supra factæ, quod talis obligatio efficaciter tollitur per absolutam voluntatem ejus qui illam posuit. Nihilominus tamen in usu talis dispensationis necessario est constituenda differentia inter legislatorem et subditum: nam in legislatore talis usus peccaminosus est, etiamsi in subdito possit esse sine peccato, vel, licet demus in subdito esse peccatum veniale, in legislatore est mortale ex suo genere; et ratio differentiæ sumitur ex dictis, quia superior peccat graviter secum dispensando sine causa, ut supra ostendimus, et potest, consequenterque tenetur, illam dispensationem revocare; et quoties voluntarie in ea permanet, peccatum illud prosequitur seu repetit, ut jam declaratum est. Utendo autem tali dispensatione virtute illam confirmat, imo iterum illam sibi concedit; ergo saltem hoc titulo peccat mortaliter in illo usu. Et in hoc est dispar ratio in subdito, ut declaravi. Neque est mirum quod in hoc sit majus gravamen principis quam subditi, quia princeps tenetur ex officio, et ex justitia distributiva, vitare illam improportionem quæ est in tali dispensatione, qua obligatione

subditus non tenetur. Et confirmatur, quia alias vel nullius vel parvi momenti esset obligatio principis per suam legem, quia sola voluntate potest valide auferre a se obligationem illam, et postea non peccaret, saltem graviter, illam legem non custodiendo. Consequens autem est contra superius dicta l. 3, cap. ult. Quamvis ergo dicatur illa dispensatio valida, quia dum durat aufert vinculum legis, juxta prædictam opinionem; nihilominus non transit in factum (ut sic dicam) omnino præteritum, sed semper pendet ex voluntate ipsius principis, qui potest et debet illam retractare, et ideo in usu illius non minus peccat quam in ejusdem dispensationis usurpatione. Et idem dicendum est juxta hanc sententiam, si princeps a principio ferret legem animo obligandi alios et non seipsum: nam exceptio de facto valida esset; peccaret tamen graviter in illa voluntate, et semper teneretur eandem retractare, et ob id semper graviter peccaret, non contra ipsam legem positivam, sed contra naturalem.

16. Id vero quod hæc sententia supponit, nimirum, obligari principem sua lege ex vi suæ voluntatis, difficillimum creditu est, quia obligatio legis, quatenus fundatur in voluntate ferentis illam, est obligatio manans ab imperio. Unde est obligatio subditi ad superiorem, hæc enim relatio est intrinseca proprio imperio morali: unde, licet dicatur quis sibi ipsi imperare physice se movendo, seu impellendo, non tamen moraliter se obligando, sicut etiam promittendo, vel contrahendo non potest se obligare sibi, sed alteri: ergo etiam in præsentem non potest illa obligatio legislatoris per legem suam a propria ejusdem voluntate manare. Et confirmatur; nam obligatio legis humanæ, ut est ab humana voluntate, est obligatio obedientiæ, vel saltem illam intrinsece includit, seu in illa radicatur; non potest autem ejusdem ad seipsum esse vera obedientia: ergo. Propter quod supra, libro 3, cap. ultim., censui hanc obligationem legislatoris ad opus præceptum per legem suam, supposita voluntate ferendi talem legem, non pendere ex speciali voluntate ejusdem legislatoris comprehendendi seipsum sub tali lege, quia necessario obligatur, etiamsi nolit, ex vi legis nature præcipientis illi ut observet illud medium virtutis quod per legem suam statuit pro tota communitate, quando materia legis communis est, et uniformitatem postulat in capite cum corpore, ubi nulla ratio justa exemptionis intervenit.

17. *Dispensatio quam legislator sibi concedit sine justa causa, nulla est nullumque effectum habet.* — Hoc igitur veriori principio supposito, consequenter dicendum est dispensationem quam sibi legislator concedit in sua lege sine causa justa nullam esse, nullumque effectum in ipso jure habere. Probatur, quia per dispensationem datam sine causa non aufertur obligatio legis naturalis; sed obligatio principis ad observantiam legis suæ est de jure naturali, et non a voluntate humana: ergo non aufertur per illam dispensationem: ergo valida non est. Et confirmatur, nam dispensatio data ab inferiori in lege superioris sine causa non est valida; sed quando princeps secum dispensat circa observantiam seu executionem suæ legis, non dispensat revera in lege sua, quia non obligatur per illam ut sua est, sed dispensat in superiori lege; ergo nisi id faciat ex justa causa, non erit valida dispensatio. Dices: imo nec ex justa causa valebit, quia non potest princeps dispensare in jure naturali. Respondeo negando sequelam, quia ipsum jus naturale dicit principem debere suam legem servare, nisi ex justa causa secum dispenset, quia non debet in hoc esse peioris conditionis, et magis ita servatur debita proportio. Et confirmatur secundo, quia si a principio princeps legem ferat animo non se obligandi, sine causa, sed sola voluntate, nihilominus manebit obligatus ex vi legis naturæ, ut ostensum est; si autem ex justa causa se eximeret, valeret exceptio; ergo idem in dispensatione.

18. *Dispensatio sine causa in subdito valida est, non autem in legislatore.* — Atque ita patet responsio ad quartum argumentum; negatur enim sequela, nimirum, posse principem sine causa valide se eximere ab obligatione quam habet servandi suam legem. Neque in hoc est æquiparandus cum subdito: nam in subdito obligatio manat immediate, et per se, a lege et voluntate hominis, qui potest illam efficaciter mutare quacumque ex causa; obligatio autem principis non est per se a lege sua, sed a ratione naturali ejusque auctore; et ideo, nisi princeps auferat suam legem respectu communitatis, non potest sola voluntate propria auferre a se obligationem quæ in ipso naturaliter resultat posita tali lege. Neque mirum videri debet quod in hoc quodammodo sit durior conditio principis, quia etiam status ejus requirit altiore obligationem, cum non possit directe per suum jus humanum obligari, et ideo in principe naturalis obligatio ad uniformitatem servandam in legis executione, ex parte illius

immediate fundatur in dignitate et officio suo, in subditis vero fundatur potius in obligatione legis positivæ, ut supra declaravi: et ideo etiam est in principe longe gravior illa obligatio servandi conformitatem quam in subditis, quia et ad exemplum subditorum, et ad communem observantiam legis multo magis necessaria est.

19. Solum superest in hac resolutione difficultas de effectu legis humanæ irritandi actus, seu, quod perinde est, inhabilitandi personam ad contractum, etc., nam sequitur ex dictis, si princeps secum dispenset in tali lege sine causa, nihilominus actum ejus non esse validum, quod verisimile non est; constat enim contractum irritum jure positivo, si scienter fiat a principe, validum esse, imo eo ipso dispensare cum alio secum contrahente, ut valide contrahat, ut sumitur ex his quæ tradit Navarr. in Summ., c. 23, n. 108; Covarr., in e *Quamvis pactum*, p. 1, § 3, n. 5. Respondetur ergo negando sequelam, quia probabilius est legem humanam non habere hunc effectum circa voluntatem et personam ipsius legislatoris, quia ordinarie est pœnalis; vel quando talis non est, in hoc ei assimilatur, quod includit quamdam veluti coactionem voluntatis, quatenus ejus consensus irritus fit, quod requirit efficaciam superioris voluntatis, nec potest fieri ab aliquo circa seipsum. Nec naturalis obligatio servandi conformitatem extenditur ad hos effectus, quasi coactos et violentos, sed solum versatur circa mores humanos, neque plus dicit naturalis ratio. Imo, licet quis contendat etiam personam principis esse inhabilem, quando lex ejus inhabilitat subditos ad aliquem contractum, nihilominus negare non possunt dispensando secum, etiam sine causa, tollere a se illam inhabilitatem, quia nunquam est immediate a lege naturali, sed a lege humana; sicut si Papa dispenset sine causa in impedimento habente obligationem ex naturali lege, et irrationem ex humana, valebit dispensatio quoad tollendam irrationem, licet non valeat quoad obligationem auferendam. Exemplum est, si Papa dispenset sine causa cum clerico in sacris ut uxorem ducat, validum esse matrimonium, quamvis peccet mortaliter contrahendo illud, quia obligatio voti auferri non potuit per talem dispensationem; impedimentum autem irritans, quod mere humanum est, valide ablatum fuit sine causa.

20. *Quomodo superior in lege inferioris dispensare potest.* — Atque ex his tandem concluditur quid dicendum sit de dispensatione sine

causa data a superiore in lege inferioris, an valeat, necne. Nam, licet ex majori potestate videatur necessario fore validam, aliunde ex diversitate voluntatum videtur hoc difficile, quia non tam facile mutat quis voluntatem alterius, etiam inferioris, sicut suam. Dicendum vero est hoc pendere ex modo superioris potestatis, quia si tantum sit potestas superior quasi remota, quia, videlicet, solum in gradu appellationis, vel supplicationis, aut alterius similis recursus potest versari circa subditos inferioris Prælati, tunc certe dispensatio non valebit data sine justa causa, quia tunc nulla est ratio recurrendi ad talem superiorem, et consequenter neque illius jurisdictio ibi locum habet. Et ita dispensatio, data ab Archiepiscopo in lege Episcopi sine causa, nulla erit. At vero si potestas superior se extendat immediate ad regimen subditi per modum causæ universalioris etiam immediate, tunc valida erit; talis dispensatio Papæ in lege Episcopi, et dispensatio Generalis in præcepto Provincialis, et sic de similibus. Quia, licet superior proprie non mutet voluntatem inferioris, potest mutare seu tollere effectum ejus per jurisdictionem superiorem quæ de se non pendet ab inferiori. Sicut etiam potest talis Prælati superior reservare sibi immediatum regimen talis subditi. Quod semper intelligendum est, nisi ejus potestas per aliquam legem limitata sit, et tunc, ut dixi, solum valebit dispensatio juxta gradum et modum concessæ potestatis.

## CAPUT XX.

UTRUM CESSANTE CAUSA DISPENSATIONIS CESSAT DISPENSATIO, VEL ALITER INTERDUM AMITTATUR.

1. *Distinctio inter indulta, breves, et facultates, etc., notanda.* — Quoniam in præcedentibus capitibus diximus causam esse necessariam ut dispensatio justa, vel etiam interdum valida sit, consequenter oportet exponere an hujusmodi causa adeo sit necessaria ut, illa cessante, cesset dispensatio quæ est effectus ejus, secundum regulam: *Cessante causa, cessat effectus*, c. *Cum cessante*, de Appell., cum similibus. Et hac occasione simul dicemus de omnibus modis quibus potest dispensatio amitti: quam materiam (quæ latissima est) in hoc capite quasi remissive perstringemus, ne omnino prætermitti videatur; nam plenam disputationem in l. 8 reservamus, ubi commodius de privilegio generaliter tractabitur, et ita po-

terit facile ad dispensationem applicari, quæ parum a privilegio differt, et lato modo sub illo comprehendi potest. Oportet autem imprimis præ oculis habere distinctionem supra datam inter indulta, breves, facultates, aut mandatum dispensandi, sive absolute, sive sub illa conditione: *Si preces veritati innitantur*, vel alia similia, et dispensationem ipsam. Nam illud indultum, licet vulgo *dispensatio* appelletur, revera non est dispensatio, ut supra dixi, quia non relaxat legem, nec tollit vinculum per se ipsum, seu ipso facto, sed requirit actionem hominis per quam fit dispensatio. Deinde in dispensatione ipsa oportet distinguere duos effectus supra relatos, unum immediatum, et per se, qui est relaxatio legis, auferendo vinculum vel effectum ejus, ut inhabilitatem, irrationem, etc.; alium remotum, et quasi per accidens respectu dispensationis, quia est executio ejus, ut est contrahere, jejunare, vel alium actum efficere per dispensationem concessam.

2. Ex quibus consurgit triplex status, in quo potest dispensatio existere, sub illa indultum dispensandi comprehendendo. Primus est, quando jam indultum dispensandi est concessum, nondum tamen est dispensatio facta. Secundus est, quando dispensatio est jam facta, et habuit suum proximum effectum, nondum tamen habuit remotum, neque est executioni mandata. Tertius, quando jam est executioni mandata, suumque ultimum effectum habuit. Quando ergo dispensatio ad hunc statum ultimum pervenit, nec cessare potest, cessante causa, neque etiam potest amitti quocumque modo. Utrumque potest facile probari inductione, quia, si dispensatio data est in gradu consanguinitatis ad contrahendum matrimonium, et matrimonium jam est contractum, clarum est non posse cessare aut revocari dispensationem; et idem est in dispensatione circa jejunia, vel similes actus, imo etiam in dispensationibus votorum. Intelligendum tamen semper est de dispensatione, quatenus ad illum statum tertium pervenerit: nam contingit dispensationem habere tractum successivum, seu habere posse plures effectus, vel actus, et quoad aliquos esse executioni mandata, non vero quoad alios, et tunc partim est in tertio statu, partim in secundo, vel primo, et ideo solum ex ea parte qua pervenit ad tertium statum comprehenditur sub prædicta regula; quoad alteram vero, quæ respicit futurum, comprehenditur sub sequentibus. Et sic est facilis ratio assertionis, quia si dispensatio jam habuit consummatum effectum, ille non